



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De secundis nuptijs. Consilium DLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

9 ita quoque tutelæ onus pertinere inccepit. *
Vnde etiam in simili videmus, ubi non interveni-
entibus secundis nuptijs mater anno cessavit filio
impuberi petere tutorem, non excusari matrem, si
aliquis cognatus tutelam administraverit, *Bald. in l.
precibus versis. sed quid si mater non administraverit Ci.
de impub. & alijs subit. Paulus Parisius consil. 85. Cir-
ca presentem nu. 19. vol. 1. aut pupillus alium tuto-
rem legitimum habuerit, Bald. consil. 411. factum
sile vol. 3.*

Quibus quidem ita constitutis supervacue red-
duntur duæ posteriores quæstiones; an propter vio-
lentam bonorum dicti pupilli invasionem, mater
privari debeat jure suo. Si enim antea propter se-
cundas nuptias, non petito filio impuberi tutore,
contractas, exclusa fuit à spe successionis in pube-
ris filij, d. l. *Omnes*; nihil est, quod propter vim ad-
missam perdat mater ex bonis filij sui, quæ nun-
quam habuit, l. *Non videtur rem amittere De reg. iur.
l. Manumissiones De iustit. & iure l. Decem in fine de
verb. obligat.* Interim ne consulenti in ijs dissolven-
dis desimus, non detrectabimus paucis ad eas res-
pondere, in verso earum ordine: frustra enim de
pena invadentis possessionem suscipitur quæstio,
si non constet de possessore, l. 1. §. *deiecitur De vi
& vi armata.*

10 Et sane non videmus, quo jure dici possit, apud
dictos tutores permansisse possessionem rerum pupil-
larium, quam nunquam habuerunt; tutorem enim &
curatorem, etiam si administrationem rerum pupilla-
rium habeant; earundem tamen rerum possessio-
nem nullam habent; imò, ut ait Bartolus, in l. 1. in
princ. nu. 20. de acq. poss. nec detentionem quidem;
suo enim nomine nihil ex rebus pupillaribus de-
tinent, sed nomine pupilli seu minoris. Cum ita-
que pupilli possessio morte illius extincta fuerit, ut
etiam tutela, l. *Nisi finita De tutela & ration. distrab.*
neque post mortem pupilli periculo tutoris sint
res pupilli, l. *Cum post mortem De admin. tutorum*;
non potest censeretur apud tutorem permansisse; ne
quidem si eidem tutores hi fuerint, ad quos ab in-
testato, exclusa ex capite non petiti tutores matre,
pupilli hereditas erat perventura (quod ex propo-
sita specie satis percipi nequit:) possessio enim de-
functi in heredem non transfertur aut continua-
tur, nisi de novo apprehensa sit, vel in ipsa aditio-
ne, vel post illam, l. *cum heredes in princ. de acquir.
possess.* Vt generaliter contingere solet jacente hæ-
reditate, in quam proinde tamquam vacantem
minori periculo fieri solet violenta invasio, *Faber
in l. fin. C. Vnde vi.* Non leve quoque argumen-
tum deficientis possessionis in eo constitui potest,
quod tutores de facto in Castro non permanserint,
sed id velut ad opus habentis custodientes ob-
signaverint, & velut in sequestrum deduxerint,
solum ejus custodiam sibi usurpantes: ut est in
commodatario & depositario, qui possidere dici
non possunt, l. *Rei commodata D. Commodati l. Licet
§. rei depositi.*

11 Quo constituto ultro sese offert secundæ quæ-
stionis resolutio, quod mater ex referatis seras, &
occupatum Castrum, non exciderit jure suo, si
quod habuit. Neque enim occupata aut vi invala
potest dici possessio tutorum, neque tutores eâ
spoliati, quam nunquam habuerunt, *Gloss. in c.
Conf. Wamels. Tom. II.*

Olim causam de restit. spoliat. Decius consil. 191. & si
quam habuerunt, illam ex capite tutelæ, non suo,
habuerunt; & cum ad summum, custodiæ causâ
tantum retenta dici possit, amittendi juris nullum
potuit esse periculum ei, qui suo jure & propriâ
auctoritate castrum apprehendere & occupare po-
tuit: facultas quippe intrandi possessionem propriâ
auctoritate, operatur, ut ingrediens non teneatur
possessionem restituere, *Capolla consil. 60. Omnia sa-
cti serie; ** & vim etiam in occupandâ hujusmo-
di possessione adhibentem, à penâ amittendæ rei
excuset: ut est in domino rem commodatam, aut
depositam violententer auferente, *Gloss. in l. Si quis in
tantam C. Vnde vi, & ibi Bart. & alijs*; præsertim cum
possessio rei vacat, vel tantum ab aliquo detinetur,
Gloss. in verb. ignorant & ibi Bald. in l. fui. C. Vnde vi.
Vnde tradunt Interpretes, penas violentæ inva-
sionis cessare in hereditate jacente, *Faber & alijs in
d. l. fui*; item in re sequestratâ, ubi rei sequestratæ
communis consensu partium nullus constitutus est
sequestrer. Proinde nisi tutores iidem fuerint, qui-
bus exclusâ matre debebatur pupilli successio; &
præterea hereditatem pupilli adierint, animoque
excludendi matrem, & gerendi pro hærede ca-
strum obsignaverint; non videmus, cur matri
nocere debeat serarum etiam violenta avulsio &
castris occupatio: si ex primo propositi facti articu-
lo à jure successionis filij sui impuberis non exci-
dit; quia scilicet filio ante contractas nuptias tu-
tores non petiverit; quod tamen cur dici debeat,
secundum superius ad primam quæstionem deduc-
ta non videmus.

De secundis nuptijs.

S V M M A R I V M.

Nubentis intra annum luctus penæ.

1. Probationum pondus in arbitrio iudicis est.
2. 4. 6. Testibus utrimque paribus quibus credatur.
3. Testes variantes ad concordiam reduci debent.
5. Scriptura diversis credendum non est, sed bene re-
sibus.
7. Frater pro fratre testis esse potest.
8. Sermo civilis an & quando obliget.
9. Vidua nubens intra annum luctus lucra nuptialia
amittit.
10. Nubentium secundo penæ an iure Canonico sub-
lata.
11. Mulier intra annum luctus nubens, si non pariat in-
tra undecimum mensem, non tenetur penæ legis.
12. Error post longum intervallum revocari non potest.
13. Notorium allegari sufficit, nec necesse est illud probare.
14. Reditus annuus pensiones lite pendente cessat officio iu-
dicis in condemnationem venire possunt.

CONSILIVM DLV.

IN causa, quæ agitur coram Venerabili Do-
mino Officiali Leodiensi Lovanij residente,
inter M. Walterum R. maritum Mariæ S.
Actorem, & Ioannem B. dictæ Mariæ ex
priori suo matrimonio socerum Reum; tres oc-
currunt articuli, circa quos totius causæ status &
difficultas versatur: quorum primus facti magis,
quàm juris habet quæstionem; reliqui duo in
Ccc 2 jure

jure consistunt; quos paucis pro causâ illustratione, & Venerabilis D. Iudicis instructione excutimus. Primus articulus est circa probationem allegatarum conventionum; quantum scilicet dictus Ioannes donationis propter nuptias causâ suo filio, & dictæ Mariæ addixerit; octodecim ne florenos annuos, & duos modios siliginis etiam annuos (uti Actor contendit) an verò tantum quindecim florenos annuos cum uno modio siliginis (quod Reus tantum confitetur) * In quo articulo longâ probationum quæ hinc inde factæ sunt examinatione non utemur: cum non tam in iure consulti demonstratione, quam Iudicis arbitrio veretur probationum pondus & efficacia, l. 3. §. tu magis de testib. Franc. Curtius iunior consil. 178 in principio. Iudex enim motum animi sui ex argumentis ac testimonijs, prout illa rei, de qua agitur, vel aptiora vel vero proximiora comperit, informat, l. Ob carmen §. si testes de testibus.

2 Hoc satis erit obiter attingisse trium testium conformi testimonio probatum esse contenta primi articuli, articulorum dicti Actoris esse vera; & ita ut ibi narratur, (videlicet promissos esse octodecim florenos) accidisse: quorum fides duobus alijs testibus etiam per Actorem productis coadjuvatur, eoque magis, quod horum alter postea etiam à Reo productus, priori suæ dispositioni inhaerens, & quod datâ paritate testimoniorum, ut est numeri testium, non ad Reum sed Actorem hinc inclinare debeat Iudicis animus & credulitas. Nam quamvis ubi ambarum partium testes & numero, & conditione seu qualitate sunt pares, præferantur testes Rei; quia promptiora sunt iura ad absolvendum, quam ad condemnandum, c. Ex literis de probat. speciali tamen iure in favorabilibus causis, ut est matrimonialis, dotis, & quæ dori exæquata est, in Auth. de aequalitate doti. donationis propter nuptias, ubi testium hinc inde est paritas; Actoris, qui pro dote vel donatione seu antenuptiali contractu stant testes, præferendi sunt, c. ult. & ibi Gloss. de sent. & re iud. Gloss. in d. c. Ex literis, & in c. In nostra de testib. d. §. si testes; tum quod quamvis numeri sit paritas, testimoniorum tamen non sit paritas; tum quod testes, qui de quindecim florenis testificantur, constantis depositionis & scientiæ certitudinis nullum habeant argumentum. Nam Actoris tres testes affirmativè & præcisè deponunt de promissione octodecim florenorum: at ex tribus testibus, qui pro Reo deponunt, duo priores lapsæ seu labilis memoriæ significationem faciunt; dum deponunt promissos esse quindecim florenos, uti melius recordantur, seu quod tantum habeant memoriam de quindecim florenis promissis: sic ut quamvis tertius deponat quindecim florenos esse promissos, & unum modium siliginis, æstimatum ad tres florenos absque pluri; quia tamen solus est & unicus in directè contraria esseveratione, fidem probationis non facit, l. Iurisperitandus C. de testib. c. Licet universis, c. Veniens eod. tit. præsertim adversus tres alios in eandem depositionem consonantes, contestium suorum depositione per omnia non adjutus: maxime quod horum quoque contestium attestaciones in concordiam cum tribus Actoris 3 testibus productis faciliè revocari possint. * Verum enim est eum, qui octodecim promissit, quin-

decim quoque promississe; quod majori summa infit minor, l. 1. §. si stipulanti de verb. obligat DD. in l. Qui quartam De legat. 1. & cum ex omnibus testibus hinc inde productis evidenter constet per contentionem factas esse à Reo dictas promissiones antenuptiales; & ipso paulatim aliquid addente; Mariæ verò, seu his, qui pro Mariæ partibus stabant, paulatim ex his quæ petierant, aliquid detrahentibus, intelligi possunt partes utrimque ad certum modum donationis tandem consensisse, argum. l. Si voluntate. C. de resend. vendit. præsertim si testium, qui de quindecim florenis attestantur, depositiones accipiantur de promissione in initio facta: alij qui de octodecim deponunt, de promissionis incremento, & extrema contractus absolutione.

Quæ cum non adversæ, sed diversæ sint, ex aliqua contrarietate inter se non collidi, sed componi, & officio boni Iudicis ad concordiam possibilem reduci debent, c. cum tu & ibi Gloss. de testib. idque sive ex una parte producti testes sic inter se dissideant: sive qui hinc inde producti sunt. * Nam sive ab una eademque parte, sive ab utra- 4 que vel diversa parte testes producti inter se dissideant, non nocet huiusmodi contrarietas vel diversitas, quo minus alijs si vel numero vel dignitate aut integritate sunt potiores, fides adhibeatur, d. §. si testes, d. l. Iurisperitandus. † Alia est 5 ratio diversarum & contrariarum scripturarum, ab una eademque parte productarum, quibus credi non solet, l. Scriptura diversa C. de fide instrum. quia est quod imputetur ei, cui ijs usus sit, in cujus potestate fuit, quam vellet proferre, l. Imputari de fide instrum. Sed cum nihil imputari possit ei, qui plures testes, licet contraria vel diversa deponentes, produxit, de quibus bene sperare potuit, & cum quibus convenire, quosque instruere quid depositori essent, sine periculo amittendæ fidei, non potuit, l. Si quis in fine C. de testib. nihil nocere debet huiusmodi contrarietas seu diversitas, Gloss. in d. l. Scriptura & in d. c. In nostra circa med.

6 Illud sane non modici hinc est momenti, quod inter Actoris tres illos consonantes testes, est Mathæus C. fide publicâ insignis; qui propter Notariatû suum frequentissimè contractibus antenuptialibus adhiberi solitus, verosimiliter exactius alijs rem percepisse & intellexisse, memoriæque commendasse credi debet; accedentibus præsertim alijs duobus contestibus idem dicentibus. Sic ut hinc sit, ex quo Dominus Iudex, numeri testium omni- 7 sâ consideratione, Actoris potius quam Rei testibus credat, d. §. si testes, d. c. In nostra.

In quo nihil eum remorari debet Rei objectio 7 de affinitate Arnoldi & Ioannis: nam præterquam, quod ea objectio per decretum D. Officialis, de procedendo ad ulteriùs rejecta sit, juris adminiculo destituitur. Neque enim fraternitas obstat integritati testimonij, Gloss. in l. Parentes in verb. nec volentes C. de testib. præsertim si non concurrat ratio domesticitatis, vel nimis intensæ familiaritatis seu amicitiae, Bart. in d. l. Parentes, ut nec alia consanguinitas extra parentes & liberos, Bald. consil. 188. Coniobrinus vol. 4.

In probatione circa promissionē duorū modio- 8 sum: harendum non est; nam omnes testes ab Actor-

A fore producti, excepto secundo (qui non contrarium deponit, sed ignorare se dicit) deponunt contenta secundi articuli Actoris esse vera: quo nimirum continetur, Reum in contentione agendi contractus post promissionem unius modij, petente Maria alterum modium respondisse, his verbis, *Het en sal ob een mudde horens neit steken* / hoc est, Non dependebit ab uno modo filiginis. Sed quæ sit vis horum verborum, obscuritatem habet. Reus in ijs verba honoris seu iactationis constituit, quæ obligare non solent, c. Cum venissent de instit. Lud. Romanus ad yubr. de arbitrio. sed non est verosimile in tam serio actu, destinato ad Reum obligandum, vel Reum noluisse obligari hac suâ ad ulteriorem Mariæ petitionem responsione; vel Mariam responsionem huiusmodi accepisse pro joco: neque enim formali responsione opus fuit; cum etiam obligetur firmo iure, qui interrogatus, an dabit, respondit, quid nō, l. 1. §. si quis ita. De verb. oblig. sufficit enim in his & similibus consensus quocumque modo facta explicatio.

Secundus difficultatis articulus oritur ex prima Rei exceptione, quâ obijcit Actor ex capite suæ uxoris agenti, constitutionem juris civilis; quæ scilicet intra tempus luctus à morte sui prioris mariti, propter cuius nuptias promissa fuit hæc donatio, nupserit; ideoque indigna est: Et sit omni liberalitate, vel lucro, ex capite ejusdem sui prioris mariti, l. 1. c. De secund. nupt. Sed in hoc articulo substituendum non est; quia sive communem opinionem sequamur, sive quorundam singularem, satis ex hac parte Actoris uxor est excusata. * Communione enim opinione receptum est, quod jure Canonico, c. fin. eod. tit. simpliciter sublata censeantur omnes pœnæ; quibus mulier ex civili legislatione afficiebatur, quia ad secundas nuptias festinasset. Quamvis alia, quæ simpliciter propter secundas nuptias infliguntur, ut in l. femina c. De secund. nupt. Authent. de non elig. secundo nub. fam. col. 1. sublata non sint: quia scilicet respiciunt favorem liberorum prioris matrimonij; cum pœna festinationis liberos prioris matrimonij non respiciat, Salicet. & alij in d. l. 1. c. De secund. nupt. Panor. & alij in d. c. fin. petrus de Anchast. consil. 101. Ex prædictione themate in princ. Corneus consil. 21. nu. 16. vol. 1. Sic ut in proposito casu, cum sine liberis decesserit prior Mariæ maritus, nihil sit, quod imputari possit Mariæ, si ex indulgentiâ ac licentiâ legis Apostolica, d. c. fin. ad secundum maritum cum consilio amicorum convolverit; non quidem statim mortuo marito, sed demum post quatuor menses. † Quo quidem casu à quibusdam exilimatum est, à Martino, ut testatur Bald. in d. l. 1. c. De secund. nupt. mulierem omni jure excusari à quacumque pœnâ festinationis, si intra undecimum mensem à morte prioris mariti non pariat: cum hoc casu nulla sit suspicio perturbati sanguinis; hoc est conceptionis ex priore marito, quæ finalis causa est legalis prohibitionis, l. Consensu vers. si vero causam c. de repud. Cum ergo hic sit status dictæ Mariæ, ut neque incontinentiâ nota ei impingi possit, quæ amicorum consilijs obtemperans, tam cito nupserit; neque sint liberi, quibus secundis nuptijs injuriam fecerit, & denique ex eventu constet, nullam esse perturbati sanguinis

Conf. Wamels. Tom. II.

suspicionem: nulla probabilis est causa, cur legali pœnâ, canonum auctoritate mitigatâ afficiatur; etiam si plerique legis auctoritati & severitati nimium adhærentes, canonis benignitatem nimium restringant; quibus Bartoli verba hic obijcisse sufficere putamus: qui ait, in l. Liberorum in fine De his qui not. infamia, superiorem distinctionem inter pœnas, quæ propter festinationem tantum imponuntur; & quæ favore liberorum prioris matrimonij infliguntur, semper fuisse observatam à mortalitate millies & millies.

Tertius articulus est, an quod per Reum in subsidium dicti matrimonij promissum est, perpetuum censeri debeat; an verò soluto per mortem prioris mariti matrimonio, hæc promissio extincta sit? In quo articulo non admodum quoque substituendum est; quod Reus ipse suâ declaratione manifestaverit conditionem dictæ promissionis, quod non fuerit restricta ad tempus stantis & perdurantis matrimonij, sed perpetua; quamdiu scilicet alteruter conjugum vivit. Cui consonant etiam testium omnium hinc inde productorum testimonia; cum deponunt hæreditarium & perpetuum fuisse quiddam Reus tempore dicti antenuptialis contractus promissit. * Quæ quidem declaratio, posteriore revocatione Advocati obumbrari non potuit, nullo iusti erroris prætextu allegato & probato, Salicet. in l. 2. c. De custod. reor. præsertim quia ex longo intervallo facta sit, l. 3. & ibi Casti. c. De errore advocat. & præterea non tam sit confessionis, quam ex causa dictæ confessionis factæ obligationis revocatio: sic ut non revocata confessio ex capite erroris, qui nullus allegatur, confessionis vis maneat, argum. l. sancit. De testam. (ex quâ sublata etiam vel numquam facta Rei oblatione aut præsentatione) ex juris dispositione obligationis efficacia resultat; ut scilicet teneatur Reus, Mariæ annuam huiusmodi promissionem, quamdiu viveret, præstare.

Quâ promissione etiam cessante, manet notorij juris consuetudinarij & municipalis per Actorem allegati auctoritas & potestas: per quam annuum bonorum mariti prædefuncti, sive ea sint nomine donationis propter nuptias assignata, sive patrimonialia, sive acquisita, uxor superstes manet usufructuaria. Quod quidem jus tam est notorium ut nulla probatione egeat: notorium enim allegari sufficit, non etiam probari debet, Gloss. in clem. appellanti de appellat. Et sine tantum abest, ut hæc ex parte Reus evadere possit, ut alius cogitatione impressa, attentari possit jure perpetuo & irrevocabili ad Mariam pertinere, quod per Reum additum ac promissum est: quia jure consuetudinario marito prædefuncto succedit mulier superstes in omnibus bonis mobilibus, & quæ mobilium loco sunt: veluti in redditibus personalibus, non hypothecatis aut realizatis, Tirag. de retractu §. 1. Gloss. 6. nu. 11. non jure usufructus, sed plenæ proprietatis. Cum itaque hi annui redditus per Reum promittentis nitantur, & nullam hypothecam habeant, ac tempore contractus antenuptialis Reus declaraverit, se statim sortem eorundem solutorum tentari posset (ut dixi) hos redditus ad Actoris uxorem pertinere jure perpetuo & irrevocabili. Sed cum ad id non conten-

Cc 3

deris

derit Actor, non est quoddam de huius questionis veritate longius inquiramus.

Neque his ad veretur, quod Actor concluderet tantum ad octodecim florenos semel: nam ex eo non sequitur Actorem existimasse pro futuris annis eundem reditum debitum non iri; cum contrariam cogitationem satis indicet narrativa partis ejusdem libelli præcedens materia; videlicet de promissione Rei solvendi redditus singulis annis: & quod concluderet tantum ad exsolutionem octodecim florenorum, & unius restantis modij filiginis semel, necessitate quidam factum fuit; non quidem quasi ad eum annum tantum restricta fuerit promissio; sed quia pro eo anno tantum cessaret redditus: sic ut cum pro alijs annis qui nondum cessarent, petere non potuerit, *l. Cedere diem de verb. oblig.* nulla ratione abstinendo ab ulteriore petitione peccare aut, pro sequentibus annis sibi præjudicare potuerit. * Proinde cum temeraria Rei oppositione hæc lis tamdiu protrahita sit, ut interea dictæ annuæ præstationis alius terminus cessaret, officio D. Iudicis incumbit ut ad eum quoque sententiam suam extendat, *Bald. in l. cum propria C. Si quis alteri vel sibi*, qui aliquin etiam virtute clause in fine dicti libelli adjectæ, *Parens sibi in & super præmissis, &c.* potest Actoris errorem corrigere & dirigere ex facto proposito, si ulla essent verba in eodem libello, quæ aliquam significationem facere possent petitionis unice tantum præstationis; ut ea facta Reus in futurum perpetuo liberaretur, *ant. de Burzio & alij in c. Cum dilectus De ordin. cognit. Ang. Aretin. ad Rub. Insist. de exceptionib. nu. 3.*

De accusationibus.

S Y M M A R I U M:

Criminalis contra clericum.

1. Spoliatus clericus nulli respondere tenetur nisi restitutus.
2. Peccata mortalia in foro fori non puniri, nisi transeant in speciem delicti cui statuta sit pena.
3. Avaritia due sunt species.
4. Illicita multa non puniri.
5. Avaritia pena nulli est in foro fori.
6. Eleemosynam facere quis tenetur.
7. Oblationes debentur parochis.
8. Stuprum cum filia confessionis grave.
9. Conatus in delicto non semper obligat ad penam.
10. Falsi conatus non puniuntur.
11. Nummorum permutatio est licita.
12. Delicta clericorum plerumque non puniri, nisi præcedente monitione.
13. Clericus rixosus an puniri debeat.
14. Ebricitas nuda non puniuntur.
15. Mulier non reprobatur contra clericum in causa criminali.
16. Pauperis testis testimonium suspectum.
17. Purgatio canonica quando induci possit.
18. Stuprum post quinquennium non accusatur.
19. Hæreticæ quod dictum aut factum est excusari si ex metu contigerit.
20. Vinctus quis dicatur.
21. Delictum non confitetur qui illum veniam petit.

22. Iuramento cuiusque statuit in hoc, ut a b. cum conscientia dependent.

23. Fuga a carcere quando sit licita.

CONSILIUM DEVI.

N O x a in hac causa Fiscus curiæ Officialis Mechliniensis Actoris, contra Dominum Lambertum H. Reum, major est noxia: quippe oculos fisci non tam in emendationem delicti, quam in crumenam Rei defixos ab initio, & in progressu causæ fuisse, manifestè deprehenditur ex accumulatione tot capitum, quæ velut protensum rete Reum indagine quodammodo inclusum sic constringere videntur, ut si non omnia, in aliquo saltem impingendo, vel hoc solum consequatur Actor, ut Reus in expensis condemnetur, probato vel minimo excellu, si in atrocioribus probatione destituitur. Quæ sanè iniqua & concussioni, non emendationi proxima est persequendorum delictorum & exercendorum criminalium iudiciorum ratio. Et quam parum recto ordine, parumque ex zelo emendationis inceptum sit hoc iudicium, evidenter demonstrat sub specie arresti, occupatio bonorum, quæ in domo Rei inventa sunt; ita ut presbytero nē quidem vestes relicte sint; atque item amotio seu saltem suspensio à possessione suæ Ecclesiæ, nulla cognitione causæ adhibita. * Est enim id evidens spoliū, à quo nulla causa initium accipere debet, *l. Si quis in tantam C. Unde viz & ob quod, adversus Clericos potissimum, nisi redintegrato ante omnia spolio, nullus processus, præsertim criminalis institui potest; can. Redintegranda III. quest. 1.* nec ipsi respondere coguntur, quam diu suis Ecclesiis & rebus sic ablatis carent, *can. 1. & 2. l. q. 3.* quo tamen beneficio Reus frui non potuit, etiam si rediret gratiam, & arresti resolutionem formaliter ac sapius petierit. Interim transeat hoc. Accumulat primo Actor accusationis capita partim generalia, partim specialia; videlicet avaritiam & sordes in dandis elemosynis ac benefaciendo seu succurrendo amicis & pauperibus. Secundo, improbam offertorium exactorem, & immodestam admonitionem de solvendis ijs. Tertiò, stupri tentationem in confessione. Quartò, conatum fabricationis falsi testamenti. Quintò, exercitium turpis lucri in commutatione pecunie. Sextò, usurariam pravitatem. Septimò, proclamationes indebitas in Ecclesia factas. Octavò, sortilegium. Nonò, sacramentorum exhibendorum denegationem. Decimo, commotionis & dissensionum studium. Undecimò, ebrietatem, fornicationem seu incontinentiam. Duodecimò, hæresim. Et novissimè fugam seu evasione ex manu illius, qui eum corporaliter apprehenderat. Per quæ tamen omnia percurrendo, demonstrabimus nullum esse unde Reo vel condemnationi vel purgatio canonica indici possit.

Et primo quidem ad obiectam avaritiam & sordes in genere, dicimus nullo iure propter nudam avaritiam aut nimiam parsimoniam, penam aliquam statutam esse in foro fori; ut nec ob quodcumque aliud ex septem peccatis mortalibus: quæ licet in foro poli, quocumque modo in illa impingatur, in periculum damnationis animam pertrahant, in foro tamen contentioso penam nullam habent,